56

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
TETANO;
QUAM,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,
D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.
ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;
NECNON
AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,
ET NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO;
Pro Gradu Doctoris,
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;
ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOSEPHUS M'CAROGHER,
Hibernus,
IN CLASSE REGIA BRITANNICA,
CHIRURGUS.

——Est autem morbus gravis,
Statimque curationem requirit.
HIPP. de Affect. Intern.

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:
EXCUDEBANT DUN. STEVENSON ET SOCII.
MDCCCXVIII.

VIRO DIGNISSIMO
ET
MEDICO PERITISSIMO,

ISAACO WILSON, M. D.

COLL. REG. MEDIC. EDINEN. ET SOCIET.
MEDIC. CHIRURG. LOND. SODALI,
IN CLASSE BRIT. MEDICO,
ATQUE ETIAM
CELSISSIMI REGII DUCIS *DE KENT*
MEDICO PRIMARIO;
QUI
ARTEM APOLLINAREM IN NOSOCOMIO NAVALI
PLYMUTHI,
CUM SUMMO GENERIS HUMANI COMMODO,
NUPER ET DIU EXERCUIT:
AVUNCULO MEO CARISSIMO,
PRAECEPTORI, ET AMICO:
OB BENEFICIA PLURIMA MAXIMI MOMENTI,
QUAE SEMPER IN ME CONFERRE DIGNATUS EST,

OPUSCULUM HOCCE,

ANIMI ACCEPTORUM HAUD IMMEMORIS
SIGNUM SINCERUM, ETSI PERTENUE
PIETATE QUA DECET,
OFFERO ATQUE
CONSECRO

JOSEPHUS M'CAROGHER.

NECNON

PRAECLARO

JACOBO HOME, M.D.

COLL. REG. MED. EDIN. ET SOCIET.

MEDICO. CHIRURG. LOND. SODALI,

&c. &c.

ATQUE

MATERIAE MEDICAE IN ACADEMIA EDINENSI

PROFESSORI LAUDATO;

VIRO

SUMMIS ANIMI DOTIBUS, ET NOTITIA

IN OMNIBUS SCIENTIAE REIQUE MEDICAE

DISCIPLINIS ILLUSTRI;

OB BENIGNITATEM EJUS ERGA ME ET BONITATEM,

HOC TENTAMEN

REVERENTIAE, OBSERVANTIAE, ET GRATI ANIMI,

PIGNUS PEREXILE,

OFFERO ATQUE

DEDICO.

QUOQUE

EXIMIO

ET

MIHI AMICISSIMO

GULIELMO LODGE KIDD, M. D.

COLL. REG. CHIRURG. LOND. SODAL.

ET

SOCIETAT. REG. PHYSIC. EDIN. PRAESIDI ANNUO,

&c. &c.

VIRO

INGENIO, DOCTRINA, REI MEDICAE PERITIA,

BENEVOLENTIA CORDIS, MORUMQUE COMITATE,

APPRIME ORNATO;

ET QUO

NEMO MELIOR, NEMO MIHI GRATIOR,

HANC DISSERTATIONEM,

IN MEMORIAM CURAE EJUS MIRAE SCIENTIAE ET

HUMANITATIS

ERGA ME, DUM MORBO GRAVI LABORABAM,

ET PERICULO MAXIMO VERSABAR,

ET QUASI GRATI ANIMI, AMICITIAEQUE MEAE,

MONUMENTUM,

LUBENTISSIME

DEDICO,

JOSEPHUS M'CAROGHER.

——Frequens noctemque, diemque
Conripere, assiduè nervos et membra coactans
Dissolvebat eos, defessos antè, fatigans.
LUCR. lib. vi.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

TETANO.

PRÖOEMIUM.

Fere semper mos est scribentibus summos in medicina honores ambituris, quaedam generalia de rei propositae utilitate et magnitudine in initio dissertationum suarum, proferre: pro meâ parte, ni verear dicax et grandiloquus videri, observem nullum ex omnibus quibus corpus humanum obnoxium est malis, attentionem magis vindicare quam de quo hisce in paginis, tentamen inaugurale scripturus, pauca conferre volui,—cùm propter miserias graves, quas aegri ab eo patiuntur, tum ob periculum in quo eorum vita versatur.

Hi

Hi morbi, ut mihi videtur, quorum natura et medela adhuc maximè in obscuro latent, ut diligentius investigentur, potissimùm semper oportet; namque si illi jam magis perspicàciter illustrati, etiam curâ haud parvâ, ut feliciter medeatur, egeant,—quantò ampliùs de quibus medici quam maximi nominis ancipites haerent, diligentiam merentur?

MORBI HISTORIA.

Morbus quem prosequor multo frequentius in regionibus calidis se prodit, ob causas jamjam exponendas, et quoque tum signis gravioribus inter servos quasi endemicus saevit; nam eorum plurimi reverà eidem hostiae succumbunt.

Malum, nominibus diversis prout musculi contracti corpus flectant, medicis cognitum est; nimirum si colli truncique tantum afficiantur musculi, Emprosthotonos appellatur; si contrà, posteriores, ita ut caput retrahatur, Opisthotonos. Alterum Tetanus est, qui omnes hujus affectsû

affectûs formas designare usurpatur; sed praecipuè eam speciem in quâ musculi anteriores, simulque posteriores adeo rigidi facti sunt, ut corpus rectum, et haud flectendum ferè continuò conservetur.

Sauvagius, aliique adhuc aliam speciem, corpus ad latus alterutrum trahentem, quae autem rarissime accidit, enumerârunt.

Cullenus, in suâ Nosologiâ Trismum, distinctum neque Tetano sociatum morbum ordinavit; verùm aliò vocabula hujusmodi spasmum denotantia, ejusdem affectûs gradus tantum diversos exprimere existimavit; quod sanè experientia justum esse docuit, namque res est notissima, ut quamquàm hae species singulae hominem adoriantur; saepe tamen alia in aliam desinere, omnesque simul torquere, observentur.

Medicus ille praeclarus in classe Neuroses et ordine Spasmi eum posuit, hisque verbis definivit:—

"Plurium musculorum rigiditas spastica."

Accessus mali propositi admodum varius observatur; nunc, scilicet, tam subitus et cum sig-

nis

nis tam gravibus et progressu adeo celerato, ut aeger nunc omnibus corporis functionibus, cùm naturalibus, tùm vitalibus valde perturbatis, animam inter horas paucas miserrimè cruciatus edat; nunc autem (et plerumque quidem) tardius serpit, et per tempus magis diuturnum saeviter durat.

Rigiditate quadam cum dolore cervicis posterioris et humerorum levi, simulque lassitudine generali, et molestiae peculiaris per totum corpus sensu, aditum profert.

Ejusdem rigiditatis musculi inferioris maxillae, et etiam gulae, citò participes fiunt; quo fit ut devorandi facultas nonnihil impediatur, neque aegrotus, nisi dolore cum magno, hiare possit. Saepiùs in Epigastrio de sensu oppressionis molesto conqueritur; et dolores spasmodici subter pectoris osse, a cartilagine ensiformi dorsum versus tendentes eum subinde agitant. Hi gravissimi haud raro sentiuntur et contractiones musculorum colli, dorsi, et maxillae, abnormes simul comitantur. Morbo progrediente, haec signa mali diagnostica magis magisque ingravescunt, et quod ad vim et frequentiam adeo

urgent

urgent ut sine ulla ferè intermissione miserum torqueant. Maxillae quoque adèo pertinacitèr occlusae sunt, ut non sine vi magnâ separari possint; caput vehementèr retractum, et spasmus deinde ad extrema inferiora, quae statim extenduntur et rigida fiunt, tendit. Corpus retrorsùm, quasi in arcûs similitudinem, flectitur, ejusque situs is est, qui in capitis verticem et talos tantùm ferè reclinare sinat. Brachia, hactenùs morbo intacta, proxima corripiuntur, et vel ad latera affixa vel super pectus convulsa jactantur. Carpi autem et digiti haud raro spasmi immunes, et ad motus, per totum morbi decursum, solitos perficiendos benè valentes dicuntur.

Musculi in diversis corporis partibus, et praecipue scapulae tàm vehementer convelluntur, ut ossa quibus sunt adnexi distorquere, imò verò interdum frangere queant. Parietes quoque abdominis a spasmo sub initio etiam graviter afficiuntur, ita ut ad dorsi spinam fortiter contrahantur, et pro convexâ (uti natura) quasi concavam, parte anteriore, formam assumant, et respirationem liberam, magnopere impediant.

impediant. Lingua per aliquod tempus post accessum humida, sed ferè quodammodò rigida, et torpida invenitur; in stadiis autem progressis, ex ore convulsa extruditur, tuncque temporis si distentio maxillae musculorum adoriatur, et casus non benè praecautus fuerit, miserrimè laceratur.

Vultus, cùm a paroxysmis aeger non laborat, pallidus et contractus existit, spasmis verò urgentibus, plerumque rubore incandescit, superque eum anxietas magna depingitur.

Oris musculi, quibusdam in exemplis, adeo convulsi sunt, ut nunc risum *Sardonicum* efficiant, nunc horrendam quasi larvam exhibeant. Oculi ne incolumes quidem evadunt, sed immoti manent, et caecitas accessu, quòd nonnulli ferunt, graviore interdum inducta fuit.

Pulsus inter accessiones multo frequentiores fiunt; his autem recedentibus, illi pedetentim decrescunt, plenique, et nonnunquam etiam tardiores quam in homine sano percipiuntur. In stadio autem provectiore celerrimi, parvi, et irregulares continuò exiliunt, et casibus nonnullis quodammodo duri.

Hìc

Hìc forsitan ad statum sanguinis animadvertere non ineptum aut alienum erit. Ineunte morbo emissus nihil praeter solitum ostendit; quum vero diutius perstiterit malum, mutatus, nimirum solutus, et igitur coagulationem naturalem non subiturus, (id quod explanatu sanè difficilis est) observatur.

Aegrotans primùm satis liberè spiritum sumit et emittit; sed respiratio, omnibus etiam symptomatis ingravescentibus, et morte ipsa arcem vitae pulsante, difficilimè magnoque cum dolore perficitur; et ille tantùm valde submissè vocem edere potest.

Constipatio ab ortu etiàm ad finem pertinaciter alvum comprimit, ita ut ne sinè remediis quidem validissimis solvi queat; de cujus causâ celeberrimus Cullenus quodammodo dubitavit, num, scilicet, a quantitate opii magna ferè semper contra Tetanum exhibita, oriatur, an a spasmo intestina continuò afficiente, eorumque cavum minuente inducta, consideranda sit. Huic, ut mihi videtur, jure attribuatur, quòd intestina, corpore post mortem inciso, tùm pleniora tùm tenuiora multùm coarctata inveniuntur;

untur; fibrae quoque musculosae ani sphincterem efficientes frequenter adeo constrictae sunt, ut exitus faecibus omninò ferè denegetur. In casibus equidem levioribus, eorum musculos a spasmo plus minusve correptos esse, haud absimile videtur.

Urina saepè est rubro colore, et Dysuria vel Ischuria Aegrum aliquandò plurimùm molestat; organa deglutitioni dicata malè se habentia et dolentia, metusque spasmi iterum arcessendi eum terrent, ne devoraret, quamvis cibi, appetitus bonus remanet; ejusque in ventriculum assumpti concoctio naturalitër pergit; quod miserias homini magnopere auget.

Calor corporis parùm augetur, saepè quidem praeter solitum imminutus est, neque febris unquam ferè hunc morbum comitatur.

Functiones cerebri nervorumque diu naturales perficiuntur, tandem verò, delirio superveniente, maximè perturbantur.

Minime verò ab historiâ symptomatum jam traditâ morbum constanter et sine remissione miserum vexare credendum est. Paroxysmi vel gravissimi brevi tempore quodammodo se remittunt,

remittunt, quamvis nunquam eò-usque solvantur, quòd corpus ad statum naturalem redire sinant.

Spatium temporis, quo Tetanus post causas excitantes admotas se prodat, ob easdem qualescunque, aliaque multa, et sanè haud facilia explanatu, multum variat. Siquandò ex corpore ad coeli intemperiem, nempè frigus et humorem statim post sudorem, vel vinum nimis liberè bibitum objecto, morbus exoriatur, semper ferè subitò et saeviùs sic expositos corripit. Contrà, si nervus punctus aliterve laesus ei ortum praebuerit, frequentiùs tardè obrepit, et non rarò cùm pars laesa omninò convaluerit.

His in exemplis, quibus valetudo secunda contigerit, nulla ferè crisis notari potest, sed gradatim in melius vertitur aeger; nam Tetanus etiam levissimus, nunquam cito evanescit, et cura ut perfecta efficiatur, nisi longa, haud expectandum est.

QUAE AD MORBUM DISPONUNT.

Quoniam in hoc morbo irritabilitate nimiâ corpus semper laboret, ex qua equidem originem suam pro magna parte trahere ille videtur, omnia hunc systematis statum inductura, causas esse praedisponentes, dicere haud ferè necessarium est. Inter haec ritè enumerentur victus potusque nimis lauti, et quidem intemperantia omnigena, corpus ab exercitatione vehemente et diuturna exhaustum, pervigilium, et exinanitiones cujuscunque generis immodicae.

Fibra relaxata (quae dicitur,) huic malo favere, ut mihi videtur justè habeatur; etenim hanc solidorum conditionem mobilitas magis solitò nunquam ferè non comitatur; quae sententia quodammodo confirmatur, quum ad coelum annique tempestates, quibus acerrimè saevit et frequentiùs occurrit, animum advertamus.

Ex quibus effluat hic solidorum status, fontes sunt admodum varii; causae autem supra memoratae, et calor regionum tropicarum, praecipuè

cipuè attentione digna sunt, quorum effectus relaxantes et infirmantes adeo sunt noti, ut de iis sermo nunc supervacuus foret.

Temperamentum sanguineum quoque huic morbo homines opportunos reddit, atque ex principiis jam dictis, quomodo id accidat, explicare possimus; namque hoc corporis compagine molliore potissimùm dignoscetur, et ideo fibrarum moventium (ut vocantur) quandam debilitatem existere oportet. Irritabilitas etiam a plethora multum augetur.

"Homines," (inquit praeclarus GREGORIUS in ejus Conspectu Medicinae Theoreticae,) "tali constitutione praediti praeter solitum sentientes et irritabiles observantur."*

Evacuationes vel naturales vel quae diuturnae ferè naturales, et quodammodo, corpori necessariae factae sunt, suppressae, hìc causae ad morbum propensionem praebentes, habitu nimirum pleno sic inducto, non ineptè adducantur.

Quasdam a debilitate multum diversas, imò vero eidem omnino res oppositas malo esse amicas

* Vide Consp. Med. tom. i, l. 1, capt. 23, 926.

amicas negare minimè fas sit, quòd homines maxime robusti et vegeti, eo immunes non semper evadunt, contrà autem impetum ejus gravissimum et clades miserrimas saepissime experiuntur.

Ex quo hae res constent difficillimum sit dictu,—enim a quodam corporis statu, vel coeli ipsius, ut multi alii morbi, pendeant, qui investigationem ad eum detegendum omnem hactenùs eluserit, et forsitan praeter ingenii humani conatus optimos, in secula seculorum latebit.

Affectus animi deprimentes a quibusdam ad causas excitantes referuntur, sed hoc non satis constat; et potiùs, utì validissimi inter praedisponentes, ordinati sint; quippe quia tales affectus, debilitate et irritabilitate inductis, corpus ad morbos praedisponere, vel proclivitatem jam existentem valde augere bene notum est.

Quidam auctores, neque inconsultè, Tetanum Æthiopes multo frequentius quam Europaeos aggredi asseruerunt; fortasse autem illis saepiùs quàm his ad causas excitantes expositis rem explicare possumus.

CAUSAE

CAUSAE EXCITANTES.

Illa, Tetanum aliis aliisque casibus excitare dicta, plurima describuntur; nimirum, venena, ulcera, dentitio, exenthemata, et podagra repulsa, abortus, catamenia suppressa, ligamenta musculos nervosque ubivis corporis nimis arctè constringentia, et animi pathemata. Parti cuticulae tàm leviter abrasae, quàm haud omnino perceperit aeger, quidam morbum attribuerunt; neque sanè dubitandum est, homines quibus haeret proclivitas magna causis vel levissimis in eum incidere posse; praecipue verò mali excitantia hic fortasse mentione digna, frigus corpori calefacto et sudante ullo modo admotum, et vulnera, aestimanda sunt.

Hoc sub coelo nostro ab illis oriri rarissimè observatum fuit, sed in regionibus calidis, India nimirum Orientali et Occidentali, vix causa frequentior Tetanum excitat.*

Vulnera

* Amicus meus Dr. Vallange, cui hujus morbi exempla haud pauca ex vulneribus orta tractare contigit, Tetanum nunquam oriri aut grassari putat nisi in iis locis qui propter solum uliginosum et humile, miasmate paludum, et igitur febribus intermittentibus, vel potius remittentibus, vexantur.

Vulnera quae ortum huic miserrimo malo praebent talia sunt, qualia pungendo aut lacerando infliguntur; quamvis haud rarò post membrum amputatum se prodit. Incredibile ferè videtur puncturam ab aciculo tenuissimo factam quibusdam in exemplis induxisse morbum; sed hujusmodi casus accidere sanè observati sunt.

Celeber Morgagni, inter ejus observationes de Tetano, effusionem aquae in cerebri ventriculis vel inter illud viscus et sua tegumenta causam excitantem esse putavit. An verò haec opinio fidem mereatur an secus, multùm dubito. Etenim quare non effectus potiùs, quam causa aestimanda sit?

Obstipatio, vel potiùs torpor, tubi alimentarii (ut a Doctore Dickson observatur*) plerumque Tetano antevenit; et idcirco causa excitans minimè raro habenda est.

* Vide Medico-Chir. Transact. tom. vii, part 2.

PATHOLOGIA.

Ad causam intimam ut transeam proximè oportet; eam .utem agitare haud sanè in animo est, quòd nihil pro certo hactenus constat; neque mirum est; quùm omnes de modo ratiocinationes, quo cerebrum nervosumque genus muneribus suis fungantur, huc usque, incertae et futiles recensentur; eorumque pathologia magnopere in tenebris latet.

"Quod latet arcanâ non enarrabile fibrâ."

Si ullo quidem modo opinionem hìc tradere fas sit, ad affluxum vis nervosae (ut medicos loqui delectat) praeter solitum ad musculos auctum, causam proximam referendam esse, dicerem.

Pathologi quidam, tàm antiqui quàm hodierni, causam vicinam hujus morbi posuerunt in statu turgido vasorum quae sanguinem vehunt ad nervos membrorum spasmis affectorum. Fidenter dicunt originem nervorum cujusdam partis quae convellitur, semper post mortem inventam esse congestione

congestione sanguìnea laesam et vasis rubris praeter solitum numerosis obtectam; suadent, igitur, sedulam medullae spinalis inspectionem; certé hae opiniones admodum nitidae sunt, sed adhuc experientiae amplioris confirmatione egent.

DIAGNOSIS.

Symptomata quae semper Tetano characteristica adsunt plerisque in exemplis inter eum et morbos alios dignotu facile reddunt. Sub initio cum Hydrophobia, Hysteria, et Rheumatismo, casibus diversis, aliquid simile nonnunquam habet; et causis aliisque rebus magnâ cum curâ non perpensis, medicus decipiatur, et inter ea pro tempore confundat. Morbum progressum nemo non dignoscere possit. Distinctiones inter Tetanum et priorem sequentes ferè enumerentur, quamvis aliquot nimis subtiles et parum accuratae existunt. Causae excitantes saepè discriminandi locum facilem praebent, quippe quia Hydrophobia unicam tantummodo

causam,

causam, nimirum animalis rabidi morsum, hic morbus multiplices, agnoscit.

Uterque ex morsu quidem oriatur, verùm si vulnus priùs sanetur, (quod interdum accidit,) quàm adoriatur morbus, idem, in Hydrophobiâ, inflammatum, valdèque irritabile, in Tetano autem rarissimè molestius, observatur. Deglutitio difficilis et dolor ad scrobiculum cordis utrique adsunt; liquorum verò timor in hoc non conspicitur.

Musculi etiam plerumque convelluntur, non multùm in Hydrophobiâ rigescunt, et febris mensque aliena, in malo proposito vix unquam aegrotum angunt. Vix ullus morbus, quod ad symptomata magis quam Hysteria variat, et aliquandò igitur Tetanum quodammodo similat. Quae morbum excitaverint, et globus hystericus, eum designent.

Dolor et rigiditas cervicis ejusdem generis in Rheumatismo incipiente, ut in Tetano occurrunt, et nonnunquam ut confundatur efficiant; biduo autem vel triduo, de illius naturâ, nullis hujus aliis signis supervenientibus, certiores, fimus.

PROGNOSIS.

Sententiam de morbi eventu fausto an infelice tradere, nihil foret, nisi indicia graviora vel mitiora, quae exitum funestum laetumve praenuntiant dicere. His igitur praetermissis, per pauca, ut malum in sanitatem transiturum quodammodo, praedicemus, hìc tantùm recensenda sunt. Sed medicus semper cautissimè praesagire debet, ne spes aegro fallaces, morte nimirum ejus fine longè frequentiore existente, excitet.

Siquando ex frigore corpori admoto ortum duxerit, et leniter tardiùsque accesserit, si quoque medicamina devorari queant et ad signa molestiora levanda valeant; si spasmorum paroxysmi rari et mites aegrum torqueant, neque ejus mens alienetur, neque vires corporis labantur, bene sperandi locus erit; et adhuc magis si morbus per multos dies duraverit, vel sua sponte discedere incipiat, quippe quia, quò longius,

gius productus fuerit, eò minus in angusto spes aegroti est existimandi.

Dr. Parry,* medicus maximi ingenii et acuminis, sequentem protulit notam prognosticam in Tetano. Si pulsus surgit (dixit ille) ad centum vel centum et viginti, in primo biduo vel triduo morbi, malum perrarò, vel nunquam, sanari potest; sed si actio cordis modica est, vel circiter centum, aut infra, remanet, spem meliorem, immò exitum morbi faustum, inchoare sinamur.

Haec observatio summi pretii est, et medicorum attentione futura perquàm digna.

* Vide Parry's Observations on Tetanus, et Dr. Dickson on Tetanus, in the Medico-Chirurgical Transactions, tom. vii. part 2.

RATIO

RATIO MEDENDI.

Ad eam opusculi partem, quae attentionem medici maximam et peritiam omnem imprimis vindicat, nunc denique ventum est; causis autem, ut supra dictum, tantum in obscuro latentibus, haud mirum omninò videtur, medelam tam saepè contra morbum nihil valere, et ejus cursum lethiferum non impediendum esse; "neque enim credunt, posse, eum scire, quomodo morbos curare conveniat, qui, unde hi sint, ignoret."* Sed vix rationalem Tetani curam esse liceat.

Primò de remediis quae ad vulnera, siqua fuerint, plerumque adhibentur, pauca proferre fas est. Siquando igitur a nervo ubivis corporis laeso ortum esse cognoscitur, commercium eum inter et cerebrum prohibere quam celerrimè nos oportet. Ad hunc finem vulnus dilatare, et nervum dissecare debemus; quod si non ob situm sine vitae discrimine perficiatur, fuit commendatum

* Celsus de re Medica.

commendatum ut ad eum incidamus, quâ partes vicinae minimum mali accipiant, et sic irritationem ad cerebrum tendere prohibeamus.

Dr. JEFFRAY, in Alma Academia Glasguensi Anatomiae et Chirurgiae Professor, morbo ex membro extremo vulnerato eveniente idem amputari haud parum commodè, putavit. Exempla sanè literis tradita fuerunt quibus spasmi statim post amputationem solvebantur; me autem judice, ne multum boni, saltem ab eo solo, expectare liceat, si morbus graviter infestet; quia cerebro et genere nervoso jam vitiatis, effectus remaneant, quàmvis causa prima sublata fuerit; et forsan quodammodo etiam a vi consuetudinis paroxysmi denuo iterentur.

Quod ad stimulantia parti laesae admota, veluti spiritum Terebinthinae et similia, multis in casibus, ea profuisse, Dr. RUSH proposuit. Ut aliquid auxilii praebeant minimè denegandum est, sed haec sola morbum solutura vix credere possum; saltem, ut opinor, remedia incerta apparent. Constitutio aegri, et praesertim corporis paulo ante accessum status, ut remedia facilius et certius symptomatis accommodentur,

modentur, semper sedulò habenda sunt. Siquando verò ullus extraneus morbus emicaverit, et diutius trahere videatur, nil dubii sit, quin primò, si fieri possit, eum amovere oporteat.

Quum ad cerebrum vitium pertinuerit, et musculorum distentiones nunc saeviant, illa, quae vel actionem praeter solitum auctam compescere, aut quae actionem alteram et contrariam ciere valeant, sine morè praescribenda sunt. Ut Plethoram saepè adesse observamus, detractio sanguinis admodum necessaria fit; in memorià autem cautè tenere debemus, hanc tantum in stadio primo satis tutò perfici posse; nàm cùm longiùs processerit morbus, eam non solùm inutilem, sed quoque exitiosam, experientia manifestè docuit.

Nunc hac de parte curationis disserere advenio, de qua opiniones variae, satque contrariae a medicis diversis, neque parvi nominis, prolatae fuerunt; et quidem illi exempla utriusque utilitatis, et praestantiae citare diligentèr curaverunt. In arenam hujusmodi experientia mea sanè parva descendere, et inter eos componere litem ullo modo conari, vetat; igitur ut

sententias

sententias has diversàs traderem, mihi fas esse solùm videtur.

Hìc autem observare liceat, ut, causis praedisponentibus diversis, fortasse tales corporis status existerent, qualibus varia remedia inter sese opitulentur, et sic juncta multùm prodessent.

Inter haec *Argentum Vivum* locum conspicuum maximo jure meretur, quamvis de modo, quo effectus salutiferos efficiat haud bene constat. Sat est, ut experientia medicorum non paucorum, multum boni praestitisse, comprobatum fuit.

Si hoc remedium exhibere statuamus, quò citiùs ad ejus usum confugimus, et quò diligentiùs consequimur, eò magis prodesse expectetur; nec morbus, donec ptyalismus excitatus fuerit vel minimè pedem referre solet. Partes corporis vasis resorbentibus plurimum refertae cum unguento Hydrargyri fortiore benè perfricandae sunt; et dum aeger devorare adhùc valeat, per ora in corpus recipere debet. Fumî quos praeparata ejus aliqua igni exposita edunt, quòd citiùs effectus producere saepè observantur,

cum

cum fructu adhibeantur. Porrò, si aeger robustus et vegetus fuerit, Hydrargyrus commodissime, praescribatur.

Remedia tonica, ut vocantur, proximè attentionem vindicant, quae quidem magis idonea et necessaria sunt, cum debilitas ante accessionem morbi aegroto adfuerit. Prae omnibus, affusionem aquae frigidae hìc notare mihi placuit.

Modus hujus applicandae, pariter ac in febribus, nunc tam benè intelligitur, ut explicationem hìc offerre omnino supervacuum esset; subitò autem et largè per totum corpus eam perfundere convenit. Calor gratus confestim hominem pervadit et indicia molesta valde mitescere conspiciuntur.

Hoc levamen sanè ab affusione semèl peractà constans mansurum esse vix unquam expectandi locus prebetur; et ut ad finem optatum certiùs attingamus, tertiis horis, vel ullo pro re nata intervallo, donec spasmi penitus superenter, eam itarare debemus. Modus quo aegrotanti benefacit hic esse videtur;—scilicet aqua subitò et inopinantèr affusa generi nervoso stimulum

tam

tam validum praebet, quàm actionem ibi loci novam cieat, et nexum, ex quo mali continuatio pendere quodammodo apparet, morbidum, quasi rumpat.

Aegri etiam ut in balneum calidum descendant, aliquot medici fecerunt; sed potius exitum miserandum, quantum intelligo, accelerare, quam symptomata gravia sublevare observatum fuit.

Vinum ad fibras relaxatas firmandas, et ad *tonum* (quod medicos dicere delectat) systemati impertiendum a plerisque idoneum putatur; et liberè, ut Dr. Rush monuit, consessum, maximè juvabit.

Dr. Miller casum in ejus praelectionibus academicis narravit, quem in Nosocomio Glasguensi, vino sic concesso, felicitèr tractaverat; et juvenis, nunc quidem in Orientali India medicinam faciens, qui morbo laboraverat post vulnus pollicis pedis, acceptum inter aquis fluvialibus proluendum, se eodem modo morti ereptum esse, haŭd ità pridèm mihi confirmavit.* Nihilominŭs autem haud bene convenit, quod opinor, nisi cum vires aegri multum defecerint, et

* Nuper in praelio caesus.

et stimulantibus validis ut sustineantur manifestè egeant.

Quocunque modo demùm huic malo funesto obviam ire medico imprimis placuerit, opium in dosibus magnis exhibitum, semper necessarium et validissimum auxilium invenietur. Quamvis verò cum aliis praescriptum prodest, tamen solum aliisque disjunctum fidem mereri experientia non sanè docuit; igitur remedia jam memorata nunquam praetermittenda sunt. Ita quidem concedi debet, ut dosis altera exhibeatur, priusquam alterius effectus cessaverint; et si facultas devorandi vel perdita vel multum impedita fuerit, ad cutem adeo perfricari aptum sit, ut per eam in corpus resorbeatur. Nonnullis sanè medicis, satis justè forsitan, hunc exhibendi modum alteri anteferre placuit, quippe qui obstipationi, per ejus usum internum plerumque augendae, nullo modo faveat, quod est magni momenti, cujusque haud immemores unquàm nos esse decet, quoniam musculi intestinorum relaxati, ideoque alvus liquida facta saepè spasmos aliis partibus solvere valeant. Hinc ratio est perspicua, cur purgantia et ductio

tio alvi ferè semper utilissima reperiantur, et nunquam praetermittenda sint.

Alia antispasmodica cum opio conjuncta, quorum optima sunt Moschus, Camphora, et Aether Sulphuricus, haud parûm proderunt.

Vesicatoria a nonnullis multùm laudata fuerunt; aliqui verò fide penitùs ferè indigna eadem putaverunt, et fortasse cùm nimis parva unique parti tantummodo applicata huic opinioni ortum dederint; namque mihi videtur, quòd si rectè admoveantur, ad morbum sublevandum vel etiam prorsùs fugandum haud parum conferant

Horum effectus bonus in casibus duobus quorum historia mihi narrata fuit conspicuus patebat. In uno vulneri in articulo genu, et in altero vulneri capitis, successerat morbus. Emplastrum vesicatorium ad regionem dorsi totam primò applicatum est; aliaque parata servabantur ut quamcunque corporis partem spasmi adorirentur, ibi loci statim admoverentur vesicantia. Neque Opium, neque Hydragyrus, nec ullum aliud praeter Cathartica lenia exhibitum fuit;

veruntamen

veruntamen aegri ambo convaluerunt. Ab his exemplis ea remedia attentionem medici vindicant, et, (ad minimum, ut opinor) periculum instituere, eum clarè postulant.

Hic casum breviter enarrare non fortasse nefas sit quem observandi occasio in Nosocomio Regio Navali juxta oppidum *Plymuthum* mihi data fuit. Socius navalis inebriatus ad humorem et frigus per noctem super transtris jacentem se objecerat, et mane cum Tetani signis malè se habuit. Biduo post impetum morbi, eum pulsu pleno et valido, capite retrorsum reflexo, maxillis fortiter occlusis, laborantem vidi. In balneum statim frigidum immergebatur, ex quo aliquid levaminis expertus est. Deinde sanguis e brachio ad uncias sexdecim emissus, et haustus e Tinctura Opii et Aethere Sulphurico exhibitus fuit, quae spasmos paulisper ferè omninò compescebant. Frigido repetito et haud ullum boni efficiente, balneum calidum periclitari, simulque misturam, ut supra, continuare placuit; Moschi etiam et Camphorae bolus quartis horis sumendus praescribebatur.

Haec

Haec primum spem salutis venturae magnam prabere videbantur; sed heu! quam fugacem; nec ea jam memorata, nec Hydrargyrus, nec purgantia, nec vinum morti infelicem eripere potuit; quinto die post accessum obiit.

Priusquam huic libello finem imposuero, postremò ad peculiarem Tetani formam quam medici satis justè Trismum Nascentium nominârunt, per-paucis verbis animum advertendo, fortasse in lectoris patientiam haud peccem. Illis in regionibus ubi morbus frequentiùs se prodit, infantes circiter dies novem vel hebdomadas duas natos saepissime aggreditur; unde quodammodo sui generis esse, et causas etiam suas agnoscere recensitus fuit.

Maxilla fortiter, et haud aperienda, occlusa, signum praecipuum notatur; quamvis saepè symptomata alias Tetani species comitantia eum ab hac aegrotantem miserrimè angunt.

Dr. Hillary hanc a causis iisdem, quae convulsiones infantibus Britannicis inducere possint, nempè meconio vel materiâ glutinosa aut caseâ in intestinis nimis diu retenta, ster-

core indurato, vel ullo acri in ventriculum assumpto, eos regionum calidarum adoriri, monuit.

Hoc quidem, genus nervosum sub tali coelo magis irritabile et ad spasmos *tonicos*, (qui distinctionis causa vocantur) proclive existere, aliud testimonium grave habendum sit. Jam dictae causae irritantes non statim ablatae, cùm propter coeli calorem, tùm ob febriculam quam excitant, magis magisque acridae fiunt, et primùm convulsiones efficere possunt; sed tandem, nisi celeriter sopiantur, in trismum facile desinant, qui vix unquam parvulum strangulare haud valeat. In morbo graviore, si corpus vel levissimè moveatur, spasmi maximè vehementes illicò corripiunt, et vel retrorsùm saeviter reflectunt, vel rectum immobile tenent. Si medicus in primo stadio adveniat, haud omninò desperandum esse Dr. HILLARY putat, namque intestinis ab onere acrido benè liberatis, et genere nervoso irritabili, remediis narcoticis exhibitis, sopito, omnia demùm mala plerumque evanescunt. Siquando vero morbus ab negli-

gentia

gentia vim adeptus fuerit, medicamina, aut medici peritissimi conatus, nihil conferre poterint, et mors denique, ferè exoptata, multo cruciatu miserum tenellum liberat.

FINIS.